



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 25. Burgundi ambitio Ducatum suum in Ragnum extollere meditantis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

latus, Roma discessit; in quibus, conclu-
dit Papiensis, *Rex a Septentrionibus ve-*
niens nos, quo animo esse in summum Sa-
cerdotium debeamus, suo exemplo edocuit,

Sæcul. XV.

A C 1474.

§. XXIV.

Christiernus Roma redux Burgun-
diæ Ducem invisit.

Christiernus ad sua rediens, ad Bur-
gundiæ Ducem divertit. Hic eo
tempore Nussiam in Germania gravi ob-
fisione premebat. Verum totum hujus
expeditionis bellicæ initium altius repe-
tere oportet.

§. XXV.

Burgundi ambitio Ducatum suum
in Regnum extollere meditantis.

Jam firmum Burgundiæ Ducis animo
infederat consilium, ut status suos ad
regium nomen extolleret, atque augusto
Burgundici Regni titulo augetet; Desuit
tamen Imperatoris consensus, sine quo
secundum rebus suis exitum haud spera-
re poterat; Ergo filiam suam Maximi-
liano ab Austria, unico Cæsaris Filio in
conjugem offert; ast cum eam jam plu-
ribus aliis Principibus promisisset, cui
eam traderet, ipse fixum, ratumque
nondum habebat. Nihilominus, ut ma-
trimo-

H h §

trimo-

Sæcul. XV.
A.C. 1474.

trimonium cum Austriaco firmaret, congressum cum Imperatore postulat. Cæsar, quamvis subdolum Ducis ingenium satis compertum haberet, haud ægre tamen colloquio assensit, quod in Trevirensi urbe habebatur: ibidem Burgundiæ Dux ab Imperatore Rex creari postulabat: cum autem Fridericus prius nuptias esse celebrandas responderet, Burgundus parum hæsitans, Cæsaris petito cessit; quamvis vix non evidens esset, quod cuncti, qui quasdam veteris Monarchiæ Burgundicæ Provincias possidebant, ejus proposito obluctaturi essent, imo ipsemet Imperator jamjam decreverat, in hoc rerum articulo nihil innovandum esse, nisi adjiceretur hæc clausula: *Salvo eorum, quorum interest, jure.* Nihilominus Dux hac Friderici indulgentia audacior factus, insuper postulabat, ut in ejus favorem Cæsar Sacrum Romanum Imperium renunciare velit; ipse vero vicissim Friderico spondebat directum jus beneficiariæ possessionis ad Archiepiscopatum Bisuntinum, necnon ad tres Episcopatus Metensem, Tulensem, & Veredunensem. Id etiam Duci Imperator, quantum in ipso esset, haud ægre concessit, salva tamen conditione, nisi Corpus Germanicum obluctetur, & hujus cessionis effectum impediatur. Petiit insuper Dux, ut Imperii Legatus & supremus illius Vicarius pro

pro tota Germania inferiore declaretur: Sæcul. XV. A.C. 1474.
 hujus quoque honoris literæ publicæ
 ut expedirentur, datum est Burgundo.

Jam vero tota rei summa hærebat in firmando connubio, quod Dux Imperatoris Filio obtulerat. Hujus etiam pacta eriguntur, atque signantur, Imperator quoque a Duce recipit tam de Geldriæ Ducatu, quam aliis Belgii ditionibus intra fines Imperii fitis solitum fidelitatis Sacramentum. Post hæc constituitur dies solemnibus nuptiis, ac coronationi sacrandæ, Duxque, ut ferunt, coronam, sceptrum, regias vestes, ceteraque omnia ad inaugurationem & pompam necessaria in promptu haberi jussit. Verum novæ gratiæ petitio obtentorum amplitudinem penitus evertit; liberius enim postulabat Burgundus, ut pariter Rex Romanorum salutaretur, caussatus, Imperatorem senio confectum esse: Filium vero ejus, ut ipsi succedere posset, legitimæ ætatis defectu prohiberi; æquius igitur fore, ut Imperialis corona caput Ducis prius ornaret, ac demum ab eo ad generum suum transiret.

§. XXVI.

*Dux ob petiti audaciam omni spe
 frustratus.*

Imperator audacioris petiti arrogantiam
 H h 4 adeo